



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

Imperio Critonis. Quibus rebus fiebat, vt ex Holsatia sexcentæ familiæ & plures Albi transmissio, nouas & remotas fedes quærent, vbi persequutionis furorem vitarunt, & ad montes Harthicos, hoc est, Syluam Hercyniam profecti sunt, vbi & ipsi confederunt & nepotes eorum vsque in hodiernum diem. *Annal. fol. 132.* Quin & terra latrunculis abundabat, qui populum Dei occiderent, & caperent, & gentem Saxonum toto ore deuorarent. *Ibid.* (*Fuit hoc anno M. LXVII. vel circiter. Vide etiam fol. 136. de Slaus Annal.*) Quartò, Lucri cupiditate adductus Ducatum Slesuicensem concessit, vt ex Saxone colligitur, cuius verba supra commemorata sunt. (*Anno M. LXIX. celebre illud Colloquium Henrici Regis cum Rege Danorum habitum est Lunæburgi, vbi sub specie fœderis de bello Saxonibus faciendò, compromissum fuit. fol. 133. Annal.*)

C A P V T XXI.

SEd an in feudum concessus fuerit Ducatus Slesuicensis Canuto, dubitari potest. Idque quòd feudi nulla fiat mentio. Deinde quòd beneficium emisse dicatur Canutus. Emptorem nominat Saxo his verbis; *Emptor verò plus lucri in militia, quàm opum agitatione posuit.* Item, *Munus vendita patrimonij parte assequutus est.* Saxo quidem alibi beneficium Præfecturæ Slesuicensis appellat duobus in locis, lib. videlicet 13. his verbis; *Elinus beneficio Præfecturæ exutus.* Item, *Nemine Slesuicensis Præfecturæ beneficium recipere audente.* Feudum autem est beneficium, quod alicui Dominus dat eâ lege, vt, qui accipit, & fidem & militiae munus, aut aliud seruitium exhibeat. Deinde quamuis & moribus quorundam locorum, certa pecuniæ summa, vel aliud quiddam

dam Domino feudi detur à *li 75 avaxdu. Jevos*, siue pro redemptione, vel, vt nostri loquuntur, pro firmando feudo. Quod vulgari Lingua *Besten* appellant. Vnde vox Germanica vel Gothica in Latinorum coloniam deducta *inuestire*, non à vestiendo, sed à *Besten* / hoc est, firmando vel confirmando Feudo dicta. Quæ summa pecuniæ præstatur, feudi firmandi, & noui possessoris admittendi & suscipiendi causa: etiam si alia accedant symbola, vt manus porrectio, poplitis flexio vel deosculatio. Etiam si Saxo quoque, Breuiarium Slesuicense, Crantzius, & alij hos sequuti, Item Liber Cantilenarum Danicarum, Kanutum Ducem nominent, (*quia scilicet cum acquisitione regionis etiam Ducis titulum adeptus est.*) Crantz. lib. 3. cap. 29. Saxonix lib. 5. c. 28. & Helmoldus cap. 50. Kanutus, inquit, in patriam reuersus, à Patruo benigne receptus, & Ducatu totius Daniae prædatus est. Idem iisdem verbis tradunt, Annales fol. 158. Chronicon quoque Holsatiæ disertis verbis id testetur; in hac tamen controuersia aliorum mentem ac sententiam audire, quam meum iudicium ferre ac interponere malo. Fuit id autem anno 1119. plus minus. Sed ad Canutum reuertamur. Is simul atque Ducatum Slesuicensem à Rege consequutus esset, Legatos ad Henricum mittit, pacisq; conditiones offert. Inter alias autem, vt de iniurijs & damnis, quæ Iutix & Slesuicensibus intulisset, satisfaciat, & ablata restituat. Legatos autem simul atque se in viam dedissent, subsequitur, animo quasi præfagiente, Henricum conditiones pacis repudiaturum. Henricus ad ea respondit, se pacem cum Danis non facturum, sed petitionem hæreditatis maternæ persequuturum, quoad sibi satisfactum esset. Quod vbi ad Kanutum relatum, mutato consilio, conditiones pacis propositas rescidit. Quo cognito Henricus, subridens in hæc verba prorupisse dicitur,

dicitur, Canutum equo ferocienti & refractario, qui
 sessorem excutit, similitimum esse, se tamen breui eius
 lasciuia & petulantia frenum iniecturum. Qua re
 nunciata, Canutus noctu clanculum magnis itineri-
 bus ad Henricum contendit. Cumq; diluculo ad eius
 munitionem peruenisset, hoc est, vt ego existimo, ad
 castrum Georgij, vulgò Iurgensburgum, (quod in hono-
 rem D. Georgij prope Slesuicum edificauerat, quod tamen
 eiectis ac deletis Slaus, à Canuto Duce Slesuicensi direptum
 fuit: vt notat Patruus meus, Hieronymus Cyprius, ad Hel-
 moldum suum cap. 24. Quemadmodum & in omnibus penè
 Ciuitatibus, vel suburbis, Diuo Georgio, tanquam Diuo, &
 Patrono tutelari, eadem aliquam, vel aram edificarunt: Du-
 ces quoque Slesuicenses, eius imaginem sigillo impressam,
 obsignandis literis adhibuerunt, quarum nos plurimas vidi-
 mus,) Henricus eius aduentu inexpectato & irru-
 ptione consternatus, neque arma capere, neque mu-
 nitione sese defendere ausus fuit; sed equo conscen-
 so, vicinum mœnibus flumen Sliam traiecit, & flumi-
 nis interiectu hostem fefellit. Canutus ea re exhilara-
 tus, quòd salutem suam amni potius, quàm oppido
 Slesuicensi credere maluisset, illum traiicientem cla-
 moribus & dictarijs prosequutus est, & num madesa-
 ctus esset, per ludibrium percontatus est. Henricus
 contra, quid sibi hæc profectio subita & aduentus
 inopinatus vellet, quærit. Veni, inquit Canutus, vt
 frenum & lora, quibus me vincire decreuisti, capes-
 sam. Henricus minas, quas nuper iactauerat, sibi vr-
 banitate quadam exprobrari intelligens, ignominiam
 ioco prosequutus est. Video, inquit, te calcibus ita
 obniti & refragari, vt ne tangi quidem, tantum
 abest, vt contineri queas. Ita Canutus verba contu-
 meliosa, quibus eum Henricus inceserat, dictarijs &
 ioco diluit. Ibi tum Kanutus castrum Iurgensburgum,
 & Blusenburgum, quod ad pratum Regium, vulgò di-
 ctum,

Etum, & Sliam ædificarat Bluffo, demolitus est, & solo
 æquauit, hostemq; Ducatu Slesuicensi expulsum, in
 Slauiam vsque persequutus est, omnia longè lateque
 igne & ferro vastando. Interim tamen cognationis
 & sanguinis ratione habita, de pace agi ceptum est, &
 tandem conuenit ijs conditionibus, vt Kanutus
 Henrico mortuo, Slauiam possidendam iurisiurandi
 firmitate teneret, propterea quòd ad bella cum Teu-
 tonicis gerenda filiorum virtutibus diffideret, mal-
 letq; maturum fortitudine hæredem circumspectu
 arbitrij sui libertate consciscere, quàm sub naturali,
 sed inualido, patrimonium exteris inuadendum re-
 linquere, Sed & de hæreditate materna, cuius peten-
 dæ causa bellum aduersus Danos mouerat, inter sese
 pacti sunt, vt certam pecuniæ summam Rex nume-
 raret. Quam pecuniam à Rege receptam Canutus
 Henrico numerauit. (*Saxo. f. 123. Helmold. lib. 1. c. 50. 51.*
52. Annal. fol. 158.) Quàm miserè autem vrbs Slesui-
 censis hoc bello & irruptione Slauorum direpta, ex-
 pilata, & vastata sit, ædificijs dirutis & prostratis, ru-
 dera subterranea adhuc indicio sunt. Nam iacenti-
 bus noua fundamenta, aut paulò altius fodientibus
 solum, in quo vrbs sita est, vbique tres plateæ, &
 tria pluraue pauimenta strata sese offerunt: Item foci
 tres pluresue lateribus strati, alter alteri impositus &
 superiniectus. Quam gratiam autem Canuto pro
 periculis & bene meritis retulerint illi, quo-
 rum ille aduersus Slauos defensionem
 suscepit, deinceps osten-
 demus.

* * *